

des

Königlichen Katholischen Gymnasiums zu Ostrowo,

womit zu der

am 27. und 28. September 1854. stattfindenden

öffentlichen Prüfung und Schlußfeierlichkeit

ergebenst einladet

Dr. **Robert Enger,**

Director.



DZIEWIĄTE

SPRAWOZDANIE

KRÓLEWSKIEGO KATOLICKIEGO GIMNAZJUM W OSTROWIE,

którem na

POPIS PUBLICZNY UCZNIÓW

mający się odbyć dnia 27. i 28. Września 1854 r.

najuprzejmiej zaprasza

Dr. **Robert Enger,**

Dyrektor.

---

1. Observationes in locos quosdam Agamemnonis Aeschyleae.
2. Schulnachrichten.

Druck von Theodor Hoffmann in Ostrowo.

OBSERVATIONES

in

locos quosdam Agamemnonis

Aeschyleae.





Traditis officinae horum scholae nostrae annalium pagellis typis exprimendis quum accidisset ut quae parata erat commentatio edi non posset: ne sine commentatione hunc scholarum indicem emitterem, hoc ipso tempore observationes conscribere in Agamemnonis Aeschyleae locos quosdam constituimus, quas quoniam commendare propter temporis angustias disserendi elegantia eruditorum lectioni non licet, rem ipsam utinam possimus peritis harum rerum aestimatoribus probare: imperiti ne forte in errorem ducantur, nominatis singularum auctoribus sententiarum et rationibus rerum accuratius expositis cavebimus. Quamquam quum totum leve est hoc observationum genus, tum in ipsa rei levitate nostrae neque acute inventae, neque doctrinae sunt copia instructae, quibus meliora fortasse potuimus et certiora ad Aristophanis comoedias proferre, quas cummaxume tractamus, nisi ea quae nobis ex inopinato oblata est scribendi opportunitate uti voluissemus, ut eorum qui in his scholis poetas Graecos interpretantur, animos converteremus ad Aeschyli fabulas imprimis dignas quae in scholis legerentur. Et quum in omnibus Aeschyli fabulis summo artificio elaboratis excelsum illud et elatum et humana despiciens ingenium spirat, tum nulla est meo quidem iudicio Agamemnone summa et sententiarum et verborum gravitate praestantior: cuius quidem fabulae canticis haud scio an nihil unquam sit praeclarius a Graecis aliave gente profectum. Difficiliorem quidem intellectu existumant permulti esse Aeschyli sane quam egregias tragoedias, iisque difficultatibus ab eius lectione deterrentur, quibus profecto non deterrebuntur, ubi parata fuerit editio scholarum

commoditati et usui vere prospiciens: quod quidem editionum genus propter editorum aut inscitiam aut doctrinam qua adornare scriptores conantur, sane verendum est, ne multis venerit in contemptionem, veluti nuper exsistere quendam memini, qui perniciosas esse demonstrare conaretur editiones illas in usum scholarum commentariis instructas: cui quidem quamquam rectissume de multis rebus iudicanti illud tamen accidisse existumo, ut rem ipsam reiceret, quum castigare interpretes debebat. Sed de hac re forsitan alio loco accuratius disserendi fuerit occasio oblata: nunc Aeschyleae Agamemnonis paucos quosdam locos partim a vitiis liberare partim rectius quam usque factum nobis videtur, interpretari periclitabimur. Etenim tametsi praeclaram in emendando et interpretando Aeschylo operam posuit Godofredus Hermannus, tamen omnia se correxisse ne ipse quidem existumavit, et in una Agamemnone quam multa restent vitia aut nondum animadversa, aut non recte emendata, docet G. F. Schoemanni commentatio indici scholarum in universitate litterarum Gryphisvaldensi per semestre hibernum a. 1854. 55. habendarum praemissa, qui accuratam de multis huius fabulae locis instituit disputationem, alia nos ipsi perscripsimus Jahnii Annalibus scholasticis tradenda, quum Hermannianae Aeschyli editionis non tam censuram constituimus facere, quam nostrum de quibusdam locis adiungere iudicium, quos Hermannus neglexit, ut qui larga messe facta non invidet singulas in agris legentibus spicas. Atque illud quidem saepe sumus mirati, quod Hermannus quamquam bene reiecta tam Schuetziana temeritate iudicioque fastidiosiore, quam Wellaueriana tanta religione, ut quidquid appositum videret a libris, id concoqui posse confideret, tamen ipse quoque nonnunquam in librorum acquieverit scripturis, quas qui non solum quid possit dici spectat, sed quam apte quidque dicatur, ferri posse negabit. Veluti Agamemnonis versus 347—351 fere ut in libris leguntur edidit Hermannus:

Δία τοι ξένιον μέγαν αἰδοῦμαι
τὸν τάδε πράξαντ', ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ
τείνοντα πάλαι τόξον, ὅπως ἂν
μήτε πρὸ καιροῦ μήθ' ὑπὲρ ἄστρων
βέλος ἠλίθιον σκήψειεν.

Hic quum ὑπὲρ ἄστρων verba, quae illis προ καιροῦ opponerentur, inepte posita esse et Blomfieldius et alii statuerent, Hermannus frustra existumat haec verba torsisse Blomfieldium, recte enim vidisse Stanleium explicanda esse ex proverbio εἰς οὐρανὸν τοξεύειν, de quo Zenobius III. 46. ἐπὶ τῶν διακενῆς πονούντων, Suidas VI. 14. ἐπὶ τῶν διακενῆς κατ' αὐθάδειάν τι ποιούντων, Apostolius VII. 74. ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων, καὶ διακενῆς πονούντων. Sed ipsi hi testes quum doceant eos εἰς οὐρανὸν τοξεύειν dici, qui vana et inania sectentur, quoniam id hoc loco ineptum est, ex Aeschyli loco Hermannus intellegi dicit propie significari nimis longe iaculantes. Cuius quidem ratiocinationis vim non satis perspicio, quum non alterum ductum ex altero, sed toto genere diversa sint εἰς οὐρανὸν τοξεύειν et ὑπὲρ ἄστρα τοξεύειν, siquidem coelum petere dicitur qui nimis alta petit, ideoque inania sectatur, trans sidera vero iaculari, qui propinqua quae sunt reapse, nimis esse opinatur remota. Neque enim de eo hic sermo est qui veretur ut trans sidera iaculetur, sed de eo qui veretur ὅπως μὴ ὑπὲρ ἄστρων τὸ βέλος σκήψει. Ceterum potuisse apud Graecos eiusmodi proverbium esse, idque de iis esse dictum qui nimis longe iacularentur, neque affirmari potest, neque praefracte negari: apte vero hoc loco illud proverbium esse ab Aeschylo positum concedere non potest nisi qui licere poetis existumat diversa miscere. Nam quem ante tempus veto iaculari, eum exspectare iubeo dum accedat is quem iaculetur, contra si moneo ne nimis longe iaculetur, meta quidem fixa cogitata arcum iubeo recte dirigi: ex quo recte illa opponi non posse satis apparet. Praetera ridiculus est Jupiter verens, ne quum in hominem directum tereat arcum, trans sidera cadat telum. Itaque corrupta esse illa verba ὑπὲρ ἄστρων certissimum est. Et quum sententia quid requirat planissume doceat illud μήτε πρὸ καιροῦ, mihi quidem persuasum est opposuisse his verbis Aeschylum μήθ' ὑπὲρ ὥραν, directum enim tenet Jupiter arcum, ut opportunum iaculandi tempus ne praetermittat, ne aut ante tempus aut post horam constitutam poena Alexandrum afficiat. Litterarum quidem ductus etsi dissimiliores esse videantur, est tamen hoc quoque vitiorum genus in Aeschyli codicibus satis frequens, multo sane frequentius illud, quod perperam intellectis similium vel litterarum ductibus vel vocum sono est natum, quod facilius editorum sagacitas tantum non ubique investigavit. Sic

mirum in modum vexavit interpretes locus ille ubi chorus se expeditionem contra Troianos susceptam antea quidem libere fatetur vituperasse, nunc prospere finita acceptum esse Agamemnonem, quod his ille verbis enunciat vss. 771. 772.

νῦν δ' οὐκ ἀπ' ἄκρας φρενὸς οὐδ' ἀφίλως
εὔφρων πόνος εὖ τελέσασιν.

Hic πόνον Auratus aliique coniecerunt esse emendandum, eoque recepto Blomfieldius interpretatur: hodie vero ex alta mente et vere benevolus videris, quum iam laborem feliciter perfeceriut. De qua scriptura in hunc modum iudicat Hermannus: „Pessima vero ista mutatio est, qua dictio poetica in pedestrem eamque non expeditiorem, sed impeditiorem convertitur. Nam sic εὔφρων de Agamemnone dictum esset, quod perversum est in novo systemate, si ἐστί suppletur, perversiusque, si refertur ad γεγραμμένος. Nam et nomen sibi suum et verbum proprium poscit novum systema.“ Haec quum recte sint dicta, ipsa tamen eius interpretatio ferri non potest. Ita enim ille: „Quare intelligendum quidem ἐστί, sed servandum etiam πόνος. Εὖ τελέσασιν autem est per eos qui perfecerunt, sive πόνος sive πόνον legas. Est autem πόνος εὔφρων acceptus.“ At hoc mire sane esset dictum, debetque hic sermo esse de Agamemnone. Τελέσασι qui scripsit non recte intellexit quod τελέσας εἶ voluit esse qui pronuntiavit. Jam recte procedit oratio in hunc modum: σὺ δέ μοι τότε μὲν στέλλων στρατιὰν κάρτ' ἀπομούσως ἦσθα γεγραμμένος, νῦν δ' εὔφρων εἶ πόνον εὖ τελέσας. Quod vero pronuntiatione dixi vitium illud τελέσασι esse ortum, plures eiusmodi corruptelae in Aeschyli codicibus exstant, estque eius rei exemplum vel in illo Medicei scripturae specimine, quod Dindorfii diligentia tabula lithographica expressum addidit scholiorum editioni Oxoniensi, Choeph. v. 403, ubi πε scriptum, quod παι significare margini additum est, et 400. φθειμένων pro φθιμένων, ubi signo illo super ει posito fortasse non accentum, sed ι vocalem exprimi voluit librarius, quamquam de ea re nisi qui librum ipsum inspexit, certo iudicare non potest. Sed relicta hac de singulis locis disputatione ut simul appareat quam multa etiam nunc apud Aeschylum vel vitiosa sint vel non recte intellegantur, breve illud carmen inde a versu 942. accuratius tractabimus. Id ab Hermanno est in hunc modum editum:

στροφὴ ά.

Τίπτε μοι τόδ' ἐμπέδως
δεῖμα προστατήριον
καρδίας τερασκόπου ποτᾶται,
μαντιπολεῖ δ' ἀκέλευστος ἄμισθος ἀοιδά· 945
οὐδ' ἀποπτύσας δίκαν
δυσκρίτων ὀνειράτων,
θάρσος εὐπιθὲς ἵζει
φρενὸς φίλον θρόνον;
χρόνος δέ τοι 950
πρυμνησίων ξὺν ἐμβολαῖς
ψαμμίας ἀκάτας παρή-
βησεν, εὖθ' ὑπ' Ἴλιον
ὦρτο ναυβάτας στρατός.

ἀντιστροφὴ ά.

πεύθομαι δ' ἀπ' ὀμμάτων 955
νόστον, αὐτόμαρτυς ὤν.
τὸν δ' ἄνευ λύρας ὅμως ὑμνῳδεῖ
θρῆνον Ἐρινύος αὐτοδίδακτος ἔσωθεν
θυμός, οὐ τὸ πᾶν ἔχων
ἐλπίδος φίλον θράσος. 960
σπλάγχνα δ' οὔτι ματάζει,
πρὸς ἐνδίκοις φρεσὶν
τελεσφόροις
δίναις κυκλούμενον κέαρ.
εὔχομαι δ' ἀπ' ἐμᾶς τὸ πᾶν 965
ἐλπίδος ψύθη πεσεῖν
ἐς τὸ μὴ τελεσφόρον.

στροφὴ β'.

μάλα γέ τοι τὸ πολέος γ' ὑγιΐας
ἀκόρεστον τέρμα. νόσος γὰρ ἀεὶ
γείτων ὁμότειχος ἐρείδει, 970
καὶ πότμος εὐθυπορῶν

ἀνδρὸς ἔπαισεν ἄφαντον ἕρμα.
καὶ τὸ μὲν πρὸ χρημάτων
κτησίων ὄκνος βαλὼν
σφενδόνας ἀπ' εὐμέτρου 975
οὐκ ἔδυ πρόπας δόμος
πημονᾶς γέμων ἄγαν,
οὐδ' ἐπόντισε σκάφος,
πολλά τ' ἂν δόσις ἐκ Διὸς ἀμφιλαφής τε καὶ
ἐξ ἀλόκων ἐπετειᾶν
νῆστιν ὤλεσεν νόσον. 980

ἀντιστροφὴ β΄.

τὸ δ' ἐπὶ γᾶν πεσὸν ἅπαξ θανάσιμον
προπάροιθ' ἀνδρὸς μέλαν αἷμα τίς ἂν
πάλιν ἀγκαλέσαιτ' ἐπαείδων;
Ζεὺς δὲ τὸν ὀρθοδαῆ
τῶν φθιμένων ἀνάγειν ἔπαυσεν. 985
εἰ δὲ μὴ τεταγμένα
μοῖρα μοῖραν ἐκ θεῶν
εἶργε μὴ πλέον φέρειν,
προφθάσασα καρδίαν
γλῶσσα πάντ' ἂν ἐξέχει.
νῦν δ' ὑπὸ σκότῳ βρέμει 990
θυμαλγής τε καὶ οὐδὲν ἐπελπομένα ποτὲ καί-
ριον ἐκτολυπεύσειν
ζωπυρουμένας φρενός.

In prima stropha recte Hermannus et v. 943. *δεῖγμα* librorum scripturam cum aliis in *δεῖμα* mutavit et v. 946. *ἀποπτύσας* recte est tuitus, cuius constructionis exemplum alterum ex ipso hoc carmine potest afferri v. 974. Quod vero v. 950 *χρόνος δέ τοι* legitur, Hermanno debetur coniectura illud librorum scripturae *χρόνος δ' ἐπεὶ* loco reponenti, nisi quod *χρόνος δ' ἐπί* in libro Farnesiano exstat, quod ipsum Hermannus olim probaverat, de quo in editione in hunc modum disputat: „Quod in adnotatione

ad Humboldti interpretationem posui, *χρόνος δ' ἐπὶ πρυμνησίων ξυνεμβολαῖς ψαμμίας ἀκάτας παρήβησεν*, nec Blomfieldius intellexit nec Wellauerus. *Ψαμμίας ἀκάτας* non accusativum, sed genitivum, nec *παρήβησεν* activum, sed, ut est, neutrale esse volui, constructionem autem verborum hanc, *χρόνος δὲ παρήβησεν ἐπὶ ξυνεμβολαῖς πρυμνησίων ψαμμίας ἀκάτας*, tempus defloruit post communem iniectionem rudentum navis in arena stantis, i. e. postquam subductae in arenam alligataeque sunt naves. Defloruisse dicit tempus, quia, si quid adversi secundum Calchantis vaticinium accidere oportebat, effluxisse videtur spatium quo id evenire erat consentaneum. *Ἐπί* cum dativo iunctum, ut sit post, ne H. Stephanum in Thesauro dicam, observatum ab interpretibus ad Lucianum t. I. p. 538. Non puto tamen id scriptum ab Aeschylo esse, non solum quod apta numerorum dispositio duas istas syllabas potius ad praecedentia referri, quam coniungi cum sequentibus postulat, sed etiam propter productionem brevis syllabae, cui locus est absoluto numero, ut v. 953. non ubi perpetuatur." Quare scribendum duxit Hermannus *χρόνος δέ τοι* et *ξὺν ἐμβολαῖς*, ut intellegantur rudentes quibus naves in arenam subductae alligatae fuerant, id enim patere ex eis quae sequuntur *εὖθ' ὑπ' Ἴλιον ὦρτο ναυβάτας στρατός.* Videtur igitur rudentum iniectionem intellexisse non in arenam, sed in naves, quod etsi praestat, tota tamen sententia tam miro modo est enunciata, ut veram esse hanc explicationem mihi persuadere non possim; neque sententiam suam probavit Hermannus Schoemanno, qui hanc proponit emendationem:

> *χρόνος δέ τοι πρυμνησίων ξυνεμβολαῖς*
> *ψαμμιᾶν ἀκάτων παρήβησεν, αἷσθ' ὑπ' Ἴλιον*
> *ὦρτο ναυβάτας στρατός.*

Sed neque *αἷστε* Aeschylus posuisset, sed *αἷς*, neque *ξυνεμβολαί* dici possunt de multarum navium statione in littore, nam quem ille affert Persarum v. 391, ubi *κώπης ξυνεμβολή* de remis dicitur, qui multi simul in aquam incidunt, is ita tantum recte conferretur, si quotidie vel saepius navium retinacula fuissent in littus conicienda ibique alliganda. Nobis *χρόνος δ' ἐπεί* librorum scriptura vera videtur esse, ut *ἐπεί* eodem modo sit dictum ut v. 90. *δέκατον μὲν ἔτος τόδ' ἐπεὶ Μενέλαος ἄναξ ἠδ' Ἀγαμέμνων στόλον Ἀργείων ἦραν.* Eius sententiae contraria hic dicitur, tempus venisse, quo bellum

confectum sit. Est igitur χρόνος δ' ἐπεί tempus est quo, subiectum vero enunciationis ναυβάτας στρατός, ut hoc dicat chorus: Tempus est quo deductis navibus iam defloruit ex quo Troiam est profectus exercitus navalis. Quod quum significet ab hostibus periculum nullum iam impendere, addit ne in itinere quidem quidquam mali Agamemnoni accidisse πεύθομαι δ' ἀπ' ὀμμάτων νόστον. Quod vero Hermannus dubitari posse dicit ἀκάτας an ἀκάτου scribendum sit, mihi quidem ἀκάτου non solum usitatum esse sed etiam propius accedere ad Florentini libri ἀκάτα scripturam videtur.

Versus 961—964 ita intellegit Hermannus ut σπλάγχνα explicet poeta per κέαρ quod τελεσφόροις δίναις κυκλούμενον πρὸς ἐνδίκοις φρεσίν dicatur, paullo quidem tumidius, sed ut pateat sententia: non fallitur animus, cor eventum ferentibus fluctibus ad veracia agitatum praecordia, i. e. cor motu suo, qui non vano ex timore nascitur, recte praesaga pulsat praecordia. Hoc ut dicat poeta corrigendum videtur πρὸς ἐνθέοις φρεσίν. Eodem modo v. 981 dicitur καρδία ὑπὸ σκότῳ βρέμειν ζωπυρουμένας φρενός. Proximo versu in Florentino scriptum est εὔχομαι δ' ἐξ ἐμᾶς ἐλπίδος, sed quum in Farnesiano exstet εὔχομαι δ' ἀπ' ἐμᾶς τοι ἐλπίδος, Hermannus certa sibi emendatione restituisse videtur εὔχομαι δ' ἀπ' ἐμᾶς τὸ πᾶν ἐλπίδος, quod et sententia postulet et latere videatur in τοι, non addito, ut putat Hermannus a Triclinio, sed relicto ex τὸ πᾶν in detrito margine. Nobis quidem non videtur tam certa esse haec emendatio, qui satis certo putemus demonstrari posse argumento Farnesiani libri scripturam ex Triclinii emendatione esse profectam. Etenim Triclinius qui diligenter quidem antistrophicorum responsionem restituere, saepe tamen non tam metiri quam numerare syllabas soleret, quum in stropha invenisset ψαμμίας ἀκάτας παρήβησεν εὖθ' ὑπ' Ἴλιον, in antistropha εὔχομαι δ' ἐξ ἐμᾶς ἐλπίδος ψύθη πεσεῖν, his verbis ἐλπίδος ψύθη πεσεῖν ita strophica opposuit ut scriberet παρ — ήβησ' εὖθ' ὑπ' Ἴλιον, et cum relictus esset strophicus versus ψαμμίας ἀκάτας παρ —, antistrophicus εὔχομαι δ' ἐξ ἐμᾶς, ut responsionem restitueret ἐξ in ἀπ' mutavit et τοι adiecit. Verum videtur quod Blomfieldius coniecit τάδ' excidisse, ut corrigendum sit εὔχομαι δὲ τάδ' ἐξ ἐμᾶς —.

Alterius strophae initio in libro Florentino scriptum est μάλα γάρ τοι τᾶς πολλᾶς ὑγιείας, in Farnesiano μάλα γε (supra scripto γάρ) τοὶ δὴ τᾶς πολλᾶς ὑγιείας. Numeros

paeonicos recte restituit Hermannus, sed quod proximo versu ἀεί cum Blomfieldio addidit, quam apte hic dicatur non magis intellego, quam quid γάρ hoc loco sibi velit, totaque haec sententia μάλα γέ τοι τὸ πολέος γ' ὑγιΐας ἀκόρεστον τέρμα, etiamsi ἀκόρεστον, immodicum, cum Hermanno in malam partem accipiatur, non satis apta hic esse videtur. Atque Schoemannus quum absurde homines dicerentur valetudinis proptera supra modum cupidi esse, quod morbus ei vicinus esset, γάρ in δέ convertit et in antistrophico versu πάλιν cum libro Farnesiano omisit, cumque in eodem libro ἄν particula omissa τίς τ' ἀγκαλέσαιτ' exstet, id in τίς δ' ἀγκαλέσαιτ' mutavit. In quo temerarias Triclinii mutationes secutus est, neque eo qui antecedit versu numerum dochmiacum, prorsus hic alienum debebat restituere. Recte nobis videtur H. L. Ahrensius interpunctione post τέρμα vocabulum sublata νόσος στυγερά coniecisse, quo apta evadit sententia. Ut enim fieri fere solet, ut optime qui veleant repente in periculosum incidant morbum, sic hominum fortunatorum sors ex improviso tamquam scopulis illiditur. Hinc sequitur non πολέος γ' cum Hermanno, sed πολέος θ' esse corrigendum, quo illa καὶ πότμος εὐθυπορῶν referantur.

De proximo versu ad antistrophicum dicetur, versus vero 973—978. ita explicat Hermannus, ut τὸ μέν partem significet, sententia haec sit: metus quum partem pro acquisitis opibus bene attemperato iactu proiecit, non tota funditus periit domus, quamvis plena malis, nec mersit navem. Miramur placere Hermanno hanc explicationem potuisse, quae neque insit in verbis neque aptam praebeat sententiam. Nam quum opposita sint his καὶ τὸ μὲν πρὸ χρημάτων κτησίων ὄκνος βαλὼν illa τὸ δ' ἐπὶ γᾶν πεσὸν ἅπαξ θανάσιμον προπάροιθ' ἀνδρὸς μέλαν αἷμα, quis tandem illum, qui navi scopulis compulsa partem opum in mare proicit, ne acquisitas opes totas perdat, ei recte sibi persuaserit opponi, qui vita privatur. Deinde neque τὸ μέν hic partem potest significare, neque ubi de navi est sermo, dici οὐκ ἔδυ πρόπας δόμος πημονᾶς γέμων. Denique βαλὼν σφενδόνας ἀπ' εὐμέτρου non est qui aliquid proicit, sed qui bene arcu directo aliquo collineat. Quid hic sententia requirat, dubium esse non potest. Nam quum senes divinatione quadam periculi imminentis correpti homines dixissent saepe praeter exspectationem deici de prospera fortuna, illud quidem, addunt,

reparari posse malum, opes solae si perdantur; agri enim fertilitate frugibus latis posse famem depelli, vita vero amissa nullam omnino spem relinqui. Itaque haec est sententia: atque illud quidem quod attinet, pro opibus si metus sagittas emittit arcu bene directo, quamvis plena malis non tota funditus perit domus. Recte vero Hermannus ὄκνος βαλών nominativos sic dictos esse putat, ut deinde mutaretur coepta constructio. Eodem modo v. 946. ἀποπτύσας dixit, et simili loco Suppl. 426. καὶ δώμασιν μὲν χρημάτων πορθουμένων γένοιτ' ἂν ἄλλα κτησίου Διὸς χάριν, καὶ γλῶσσα τοξεύσασα μὴ τὰ καίρια γένοιτο μύθου μῦθος ἂν θελκτήριος.

Versus 984. 985. vulgo ita leguntur scripti:

οὐδὲ τὸν ὀρθοδαῆ
τῶν φθιμένων ἀνάγειν
Ζεὺς αὐτ' ἔπαυσ' ἐπ' ἀβλαβείᾳ.

nisi quod ἐπ' εὐλαβείᾳ Florentinus, ἐπ' ἀβλαβείᾳ γε Farnesianus exhibet. Verba haec ἐπ' εὐλαβείᾳ γε ut tum legebatur, Canterus ex interpretatione addita esse existumavit, eiusque iudicium probarunt Schuetzius et Porsonus, improbaverat olim Hermannus, qui nunc „ego nescio, inquit, qua religione tactus in adnotationibus ad interpretationem Humboldti servanda putabam, hoc modo, οὐδὲ τὸν ὀρθοδαῆ τῶν φθιμένων ἀνάγειν Ζεὺς ἂν αὐτ' ἔπαυσεν ἐπ' ἀβλαβείᾳ. Probarunt tamen errorem meum Wellauerus, Boissonadus, et verbis alio ordine collocatis Blomfieldius. Friget hoc, recteque sensit Canterus. Confusa sunt duo scholia, unum hoc, τὸν Ἀσκληπιὸν γὰρ ἐκεραύνωσεν ἀναστήσαντα τον Ἱππόλυτον, alterum, puto, ad v. 973. πρὸ χρημάτων κτησίων] ἐπ' ἀβλαβείᾳ, ὥστε μὴ ἔτι βλαβῆναι.“ Cur se ipse erroris insimulet Hermannus rationem non addit, nam quod frigere illa verba dicit, frigere sane ei possunt videri, qui quid significent non perspexit. Qui vero factum sit, ut interpretationis causa adderentur verba quae ipsa quam maxume egent interpretatione, non aperuit, neque quam de scholio illo profert opinionem, ullam habet speciem veritatis. Eo minus autem haec verba debent suspecta videri, quod strophicis verbis ἄφαντον ἕρμα accuratissume respondent. Nam γέ illud sine dubio a Triclinio est profectum, ἐπ' ἀβλαβείᾳ autem non est Triclinii correctio, ut Dindorfius existumat, Triclinius enim non posuisset vocabulum quod etiam

difficilius est explicatu quam ἐπ' εὐλαβείᾳ errore illud satis usitato natum, et confirmatur illud praeterea scholiastae auctoritate, qui tamen non scripsit ὥστε μὴ ἔτι βλαβῆναι, sed ut apertum est, ὥστε μὴ ἐπιβλαβῆ εἶναι. Haec igitur verba quum sine iusta ratione Hermannus eiecisset, minus etiam probari possunt reliquae eius violentissimae mutationes, de quibus haec ille: „Ex ceteris, quae libri ut Aeschylea habent, effici quidem haec possunt, οὐδὲ τὸν ὀρθοδαῆ τῶν φθιμένων ἀνάγειν Ζεὺς ἂν αὖτ' ἔπαυσεν, sed aegre quis, credo, sibi persuadeat tam languide haec enuntiasse Aeschylum. Eum qui novit, vix dubitabit quin scripserit

Ζεὺς δὲ τὸν ὀρθοδαῆ
τῶν φθιμένων ἀνάγειν ἔπαυσεν.

Quomodo hoc in eam scripturam quae in libris est mutatum fuerit ego quidem non expediam, sed tamen factum puto per adnotationes scholiastarum cum Aeschyli verbis confusas." Non languida esset haec oratio οὐδὲ τὸν ὀρθοδαῆ τῶν φθιμένων ἀνάγειν Ζεὺς ἂν αὖτ' ἔπαυσεν, sed perversa, scholiastarum autem adnotationes tantas turbas concitare non potuerunt, quamquam saepe glossas in textum quem dicunt esse receptas, nemo ignorat. Cuius rei exemplum quoddam ab interpretibus nondum animadversum hic commemorare placet. Clytaemnestra ubi de Agamemnonis caede exponit, haec dicit inde a v. 1344.

παίω δέ νιν δίς· κἂν δυοῖν οἰμωγμάτοιν
μεθῆκεν αὐτοῦ κῶλα· καὶ πεπτωκότι
τρίτην ἐπενδίδωμι, τοῦ κατὰ χθονὸς
Ἅιδου νεκρῶν σωτῆρος εὐκταίαν χάριν.

Hic quorsum addita sint verba τοῦ κατὰ χθονός vix dicas, Plutonem enim esse κατὰ χθονός, quis tandem ignorat? Aperte Ἅιδου glossema est, quo expulsum est quod Aeschylus posuerat Διός. Scimus Διὶ Σωτῆρι tertiam libationem fieri solitam esse, unde dictus est Ζεὺς σωτὴρ τρίτος· Itaque Clytaemnestra hic retinet illa quidem usitata verba Διὸς Σωτῆρος, sed ut quo ea sensu intellegi velit appareat, ad Διός explicationis causa τοῦ κατὰ χθονός, ut νεκρῶν ad Σωτῆρος addit. Non semper expulsum est vocabulum illud, cuius glossema poetae verbis additum, cuius generis exempla quaedam in observationibus illis quas supra dixi ad Agamemnonem scriptis tractavi, hic coniecturam quandam profero de Choeph. vss. 59—63.:

Ῥοπὴ δ' ἐπισκοπεῖ δίκας
ταχεῖα τοὺς μὲν ἐν φάει,
τὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ σκότου
μένει χρονίζοντα βρύει,
τοὺς δ' ἄκραντος ἔχει νύξ.

Quum horum versuum quartus ita scriptus sit in libro Mediceo: μένει. χρονίζοντ' ἄχη βρύει, eiciendum aliquid esse numeri docent. Itaque Hermannus edidit μένει χρονίζοντ' ἀτυχῆ· quod sic ille explicat: „Sed conversio iustitiae subita respicit hos in luce (i. e. sed iustitia subito se convertit in hos qui in luce versantur: Clytaemnestram et Aegisthum intelligit); alii inter lucem et tenebras infelices morantur (infelix exsilio Orestes); alios (Agamemnonem) cassa nox tenet." Haec sententia quamvis inesse in his verbis possit, aptam hic quidem esse frustra conatur demonstrare Prienius in Musei philol. Rhen. t. VI. p. 574. 75. Mulieres quum terreri Clytaemnestram audivissent visis nocturnis, iam tempus venisse augurantur, quo poenas esset datura Clytaemnestra, itaque dicunt iustitiam punire hos in luce, alios vespere, nonnullos denique nocte, hoc est, post mortem, caedem vero nunquam manere impunitam. Deinde non τὰ δὲ μένει, sed οἵ δὲ μένουσι dicendum erat. Denique ut ἀτυχῆ facile in ἄχη potuerit converti, βρύει tamen non esse eiciendum, certo demonstrari argumento potest. Sequuntur enim versus hice:

> διαλγὴς δ' ἄτα διαφέρει
> τὸν αἴτιον παναρκέτας νόσου βρύειν
> τοὺς δ' ἄκραντος ἔχει νύξ.

Obiter hic moneo διαλγής corruptum esse videri, sive enim activa significatione accipis, quam habere non potest hoc vocabulum, sive noxam dolentem interpretaris, inepte illud dictum est. Miror non attendisse interpretes ad scholiastae explicationem, qui quum ἡ διαιωνίζουσα ἄτη interpretatur, non διαλγής, sed διαρκής legisse censendus est. Id fortasse verum est, nam ἄτη etsi differt poenam, tamen permanet, nec dimittit noxium. Hoc igitur loco repetitus est in libris versus ille τοὺς δ' ἄκραντος ἔχει νύξ, cuius erroris haec est causa, quod βρύειν hic praecedit ut illo loco βρύει, ut hoc quidem vocabulum non videatur eiciendum esse. Ne ἄχη quidem vocabulo facile careas, ut mala a Justitia missa morari dicantur, ut hic poeta iucunda orationis inversione, quae animo commoto aptissima est, subiecto mutato in locum vindictae, quae poenas regit, poenas ipsas substituat. Possit igitur quispiam suspicari ἄχη χρονίζοντα βρύει, sed hoc propterea non est veri simile, quod quomodo μένει ortum sit non apparet. Itaque ἄχη glossema esse suspicamur βέλη vocabuli, quod in μένει est conversum. Litteras μ et β non satis distinxisse ipsam Medicei libri quartam manum Prienius monet editionis Septem ad Thebas fabulae a Friderico Ritschelio paratae p. VII. Prius vero βέλη esse mutatum in βέλει, quod quum μέλει legisset librarius, deinde in μένει transiit, eo mihi videtur comprobari, quod in Me-

diceo η in ἄχη ab alia manu in litura scriptum est, fuisse ante ει videtur, ut ad βέλει glossam ἄχει adscriptam fuisse credibile sit. — Sed redeat disputatio nostra ad illum Agamemnonis locum, de quo certi quid statuere, certe vitii sedem nobis videmur investigasse. Nam si ἐπ' ἀβλαβείᾳ verba ab Aeschylo sunt profecta, id quod non potest dubium videri, quum ab οὐδέ sententia incipiat, ἔπαυσεν apparet perversum esse, Aeschylumque dedisse οὐδὲ τὸν ὀρθοδαῆ τῶν φθιμένων ἀνάγειν Ζεὺς εἴασεν ἐπ' ἀβλαβείᾳ. Quamquam ipsum εἴασεν num ab Aeschylo profectum sit, propterea non potest certo affirmari, quod propter lacunam, quae est in stropha, de strophici versus numeris non satis constat. Si illa verba ἀνδρὸς ἔπαισ' ἄφαντον ἕρμα unum efficiunt versum, corrigendum esset Ζεὺς ἔα αὔτ' ἐπ' ἀβλαβείᾳ. Facile enim ἔα αὔτ' in αὔτ' transire potuit, verbum vero quum deesset aut coniectura additum est, aut quod aliquoties factum scimus, strophici versus vocabulum eadem numeri sede collocatum margini est adscriptum, ut ἔπαισε postea in ἔπαυσε quod requirere videbatur sententia, mutaretur. In stropha vero lacunam esse statuendam et ἀνδρός docet nude positum et sententia, ad cuius integritatem addendum erat, nimis fuisse fortunatum hominem vel nimis cupidum prosperae sortis. Haec in hunc modum perscripta erant, antequam allata est Schoemanni dissertatio. Totum enim de hoc Agamemnonis carmine commentarium eo quod supra significavi consilio scriptum, quum huius commentationis munus esset impositum paucis non diebus sed horis conficiendae, ex uberiore illo commentario nondum transmisso seclusi et adiecto de Schoemanni interim allatae commentationis animadversionibus iudicio in latinum convertimus sermonem. Schoemannus igitur quum ita corrigeret hunc locum:

εἶγε τὸν ὀρθοδαῆ τῶν φθιμένων ἀνάγειν
Ζεὺς ἀπέπαυσε τέχνας οὐκ ἐπ' ἀβλαβείᾳ


strophicos enim versus exhibet tales:

καὶ πότμος εὐθυπορῶν ἀνδρὸς ὑπὲρ τὸ μέτρον
θᾶσσον ἔπαισε πρὸς ἄτας ἄφαντον ἕρμα

recte intellexit et verba ἐπ' ἀβλαβείᾳ esse retinenda, et negationem requiri, quae tamen non erat coniectura addenda, sed librorum scriptura οὐδέ servanda.

Mirum in modum interpretes torserunt verba quae sequuntur εἰ δὲ μὴ τεταγμένα μοῖρα μοῖραν ἐκ θεῶν εἶργε μὴ πλέον φέρειν. Schuetzius quum μοῖραν Clytaemnestram esse velit, Hermannus „Aberravit, inquit, ab horum versuum sententia Schuetzius, quum μοῖραν de Clytaemnestra dictam putavit: quod nec per verborum naturam fieri potest, et si posset valde invenustum foret. De se loquitur Chorus, verens malum Agame-

mnoni. Non enim credit ab uxore necatum iri, ut ex colloquio cum Cassandra apparet.“ Suam si voluit μοῖραν intellegi, addendum erat necessario τὴν ἐμήν, quamquam ne sic quidem divinatio apte μοῖρα diceretur, sententiae ipsae vero concisae nulloque essent vinculo iunctae. Justa huic loco sententia restitui facillima potest mutatione, quam monstrare debebat ipsa verborum collocatio in vulgata scriptura prorsus intolerabilis. Scripserat Aeschylus εἰ δὲ μὴ τεταγμέναν Μοῖρα μοῖραν ἐκ θεῶν εἶργε μὴ πλέον φέρειν. Itaque hic est ordo sententiarum: „Saepe homines fortunatissimi ex improviso in summam incidunt calamitatem. Qui si opes tantum perdunt, diis adiuvantibus depelli fames potest: vita vero amissa nulla relinquitur spes. Nam ne is quidem qui unus hac arte pollebat ut ab inferis mortuos excitaret, inviolatus artem illam exercuit. Est enim hominum sors (vitae termini) a diis constituta, quam fatum vetat ultra illos fines proferri. Quod nisi ita esset antevertens praesaga mens quae non intellecta in pectore inclusa agitantur in verba effunderet. Nunc praesagientes metu cruciamur frustra, neque avertere possumus imminens periculum.“ Proxima quum in hunc modum scripta in libris exstent προφθάσασα καρδία γλῶσσαν ἂν τάδ' ἐξέχει, Schuetzius coniecit emendandum esse προφθάσασα καρδίαν γλῶσσα πάντ' ἂν ἐξέχει quod Hermannus verum esse putat assentiente Schoemanno. Nobis contra infelicissima videtur ista mutatio. Καρδία enim nominativus mutari non potest, quoniam subiectum est proximae enuntiationis, nam ὑπὸ σκότῳ βρέμει non γλῶσσα sed καρδία. Neque sententia illam mutationem admittit, nam προφθάσασα γλῶσσα καρδίαν eius fortasse recte diceretur, qui inconsiderate effundit quod celari oportebat, hic vero καρδία de divinatione dictum, cui quomodo antevertat lingua intellegi nequit: quis enim nisi ante animo conceperit sententiam in verba effundat? Itaque καρδία mutari nullo modo potest recteque dicitur προφθάσασα καρδία γλῶσσαν ἂν ἐξέχει· νῦν δ' ὑπὸ σκότῳ βρέμει, h. e. nisi constitutum a diis vitae spatium fatum vetaret proferre, antevertens divinatio verba effunderet, nunc frustra est in pectore inclusa. Patet igitur τάδ' ferri non posse, quod aut coniectura est a librario additum, postquam οὖν excidit quod Aeschylus posuerat in hunc modum γλῶσσαν οὖν ἂν ἐξέχει, aut corruptum ex τάχ' quae est Bambergeri fortasse probabilis sententia.



Schulnachrichten.

WIADOMOŚCI SZKÓLNE.



I.

A. Lehrverfassung.

Da in Bezug auf die Lehrverfassung in diesem Schuljahre eine wesentliche Änderung nicht eingetreten ist, so verweisen wir auf den vorjährigen Jahresbericht. Über einzelne Änderungen hinsichtlich der Vertheilung der Ordinariate und der Lehrgegenstände unter die einzelnen Lehrer giebt die dem dritten Abschnitte der Schulnachrichten beigefügte statistische Tabelle die nöthige Auskunft.

Die vier unteren Klassen sind in parallele Cötus für Schüler polnischer und deutscher Abkunft getheilt, die durch VI—III a, in denen die Unterrichtssprache die polnische, und durch VI—III b, in denen die Unterrichtssprache die deutsche ist, unterschieden werden. In II und I wurde die Religionslehre für die katholischen Schüler, das Polnische, das Hebräische und je ein lateinischer und griechischer Schriftsteller in polnischer, alles Andere in deutscher Sprache vorgetragen. Dieses schon früher beobachtete Verfahren hinsichtlich des Gebrauches der beiden Landessprachen als Unterrichtssprachen hat mit dem Beginn des abgelaufenen Schuljahres nur die Abänderung erfahren, daß nach der Bestimmung Sr. Excellenz des Herrn Cul-

A. Plan nauk.

Ponieważ w rozkładzie nauk kończącego się roku szkólnego nie zaszły żadne ważniejsze zmiany, przeto odsyła się w tym względzie czytelników do programu przeszłorocznego. Liczbę godzin każdego nauczyciela i ordynarjuszów klas wskaże tabela statystyczna dołączona w rozdziale trzecim wiadomości szkólnych.

Każda z czterech klas niższych ma dwa oddziały, t. j. polski i niemiecki, które się tem tylko od siebie różnią, że w klasach VI—III a. wykłada się nauki po polsku, a w kl. VI—III b. po niemiecku. W klasie II. i I. wykładano po polsku religją, literaturę polską, język hebrajski, i tłomaczono jednego autora greckiego i łacińskiego na język polski; wykład zaś innych nauk był niemiecki. Co do języka wykładowego ta tylko z rozpoczęciem upłynionego roku szkólnego zaszła zmiana, że w skutek rozporządzenia J. W. Pana Ministra Oświecenia z d. 28. Września r. p. łaciny w kl. III a. w 3 godzinach tygodniowo uczono po niemiecku,

